

Si quæuis etiā exactissimè parare nouerint, in admis-
nistratiōe tamen omni iudicio prorsus destituti vi-
deatur. Quò sit, vt et Author, suiç similes, nec nō
ars ipsa cum primis utīlis et necessaria, et peculiaris
ter à Deo ordinata, plerisç contemptuī, imò odio
et execrationi sit prorsus. Tu verò, Adame doctissi-
mè, vtrumç admodum consultè consunxisse cer-
neris: ac propterea multis rationibus compluribus
alijs merito es anteferendus. Neç tua laude defrau-
daberis, cùm et propria eruditione atq; peritia, nec
non propagatiōe horum secretiorum apud omnes
bonos ac veritatis amantes perpetuam celebritatem
tibi sis paritus. Perge itaç, vir humanissime, Ar-
chidoxων quoç Opus eiusdem Authoris pari libe-
ralitate in communem philosophantium necessita-
tem protinus ædere, vt aliquando perspectis opera-
tionibus ab eo in alijs librīs occultatis, authorem re-
ctius intelligent et admirantur, ac maiorī cum fructu
languentium curis præesse queant. Non dubito o-
mnes viros probos plurimum te obseruaturos et a-
maturos: Inter quos ego quoç te colere ac plu-
rimum obseruare contendam. Cupiens inte-
rim te quām rectissimè valere, me,
meaç omnia officia tibi deferens.

Lublini xvi. Calen: Junij.

1 5 6 9.